

clesia sensum pandat, dogmatis scilicet falsi electionem, qua veritas simul divina destruitur & pessundatur. Huic qui operam navant, omni cum jure Hæretici audiunt & recte pro iis habentur.

§. IX. Ejusmodi homines describit hic Apostolus & in descriptione primo Seductores memorat, deinde quoque personas ab iis seductas, fraudesque eorum ita detegit, ut *irrepere* 1.) *in domos*, 2.) vero *captivare alios* scribat. Prius quod spectat, seductoribus istud tribuit, quando de illis ἐνδύοντες, inquit, εἰς τὰς οἰκίας εἰσὶν, *irrepentes in domos sunt sive in familias subeuntes*. Quod sub pietatis specie exerceri ab illis, qui seductionibus student, *versu* patet antecedente §. Describuntur namque ibidem tanquam ἔχοντες μορφωσιν εὐσεβείας, καὶ δὲ δυνάμιν αὐτῆς ἡγημένοι, *habentes formam seu speciem quidem pietatis, virtutem autem sive vim ejus abnegantes*.

§. X. Hoc vero omnium Hæreticorum esse κερτήριον, nemo est qui ignoret, & licet multis fuit omnium temporum impiis commune, his tamen in quarto, ut vocant, modo est proprium, quippe quæ domesticum studium sub προφάσει pietatis simplicioribus imponere. Ad id cognoscendum monet Apostolus *eos speciem pietatis habere, virtutem autem sive vim ejus abnegare*. Metaphoram quasi ab idolis traxisse videtur, quæ ut formam quidem seu speciem animalis habent, vim autem & energiam nullam; ita hæreticos etiam, qui in familias subeunt, formam & speciem, imaginem & similitudinem pietatis gerere innuit, sed non magis veros esse pios, quam homo ligneus verus est homo. Apparenter saltem, non reapse pios esse existimat, quia intimam pietatis vim, quæ per charitatis opera sese exerit, abnegant, vel factis tantum, vel etiam verbis. *Istud* faciunt, qui de officiis & fructibus pietatis recte sentientes, nihil tamen horum in praxi ostendunt, suamque adeo doctrinam re & moribus refellunt: hoc, qui neglecta interiore
cordis